Locoboni ominis
PROPEMTICA,
sacra
REVERENDÆ DIGNITATI
Viri Politißimi & Literatißimi, Dn.
M. ANTONII BURCHARDI
Cum is
Ex Illustri Pædagogio Stetinensi,

(Cui artium linguarum, pietatisq; professione, tàm Privatâ quàm publicâ, extra ordinariâ æquè ac ordinariâ multum diuq; præfuit ac profuit egregiè)

In Patriam, quæ Lubecæ Saxoniæ est, ad obeundum ibidem munus Ecclesiasticum *longè dignißimum, Clementißima Dei Voluntate legitimè vocatus*
abitum pararet
ANNO
quem numeris arithmeticis designat vox.
IUDICIUM
miro omine.

STETINI, Typis Duberianis.

EpInIkIon
MagIstrI AntonII BVrCharDI.

Par es BVTELIO; laudum hæc est summa tuarum:
Cur sic? esse parem BVTELIO satis est.

M. BVrCharDo abItVrIentI S.

QVandò *Stetinensis* decus immortale Lycèi
Lubeca Patriæ templa docere paras,
Hinc proficiscenti quæ debita munera solvam?
Quæve feram meritis præmia digna tuis?
Muneris aureoli te mactet Crœsus honore;
Me dare cordetenus vota precesq; juvat.
Vota precesq; juvant sincero corde profectæ;
Aureolo præstant talia dona Tago.
I FELIX, LAVTA HAC I CONDITIONE PERENNANS,
Hoc precor, hoc voveo: Cætera *Crœsus* habet.

Præceptori atq; Promotori suo merita
observantia ergò deprop.
Joachimus Lizovius Rupino-Marchicus.

ALIUD.

QVem Lubeca vocat? natum. Quis? mater alumnum:
Orsa dedit studijs, quod dedit ergò petit.
Iure metit, repetit: quid? fructus mater, alumni
Exterior nec fert falx premat arva sui.
Multijuga hinc nobis doctrina laude decorum
Invida Burchardum subtrahit illa suum,
Cur? populo instillet divini ut semina verbi,
Illius ore cita quod fluit instar aquæ.
Vnde hæc vis vocis? primis versavit ab annis
Biblia dia Dei, doctaq; scripta Sophûm.

Pro-

Proin dignus? dignus qui te duce & auspice Christo
In tua sacra tuas pabula ducat oves.
Hoc subituro adsis, successus cede secundos,
Da placidâ nacto munere pace frui.

Fautori & præceptori suo meritissimo
merito & lubens F.
Martinus Statius, Pomeranus.

ALIVD.

Νῦν ἐπεὶ, ὦ Βουρχαρδε ἄνερ λογιμώτατε, καί μοι
Πολλὰ παιδευτὴς αἰεὶ μέχρι γήραος οὐδῷ,
Ταύτην ὠφέλιμόν τε καὶ ἱμερόεσσαν ἔδωκε
Μοῖραν σοί γε θεὸς παναέριστος καὶ μεγαλήθης,
Ἡμετέρου καθέδραν καταλείπῃς ὄφρα λυκείου,
Ἀγχίμολον καὶ ὁδὸν πρὸς πατρίδα γαῖαν ὁδεύῃς,
Ὅππως Οἰκονόμος, Κῆρυξ λαοῖσι τε ποιμὴν
Οἰκονόμῃς μεγάλοιο θεοῦ μυστήρια ἱερά,
Κηρύσσῃς τε λόγον καὶ ποιμαίνῃς θεοειδεῖ
Τὸν λαὸν νομίμως διδαχῇ καὶ ῥήματ' ἀγαυῷ
Πρὸς τὴν ἀΐδιον Ζωήν τε καὶ ἄγλαον ὄλβον.
Τοὔνεκα ἡ κραδίη χαρίεσσα καὶ ἦθος ἀνώγει
Ταῖς σε διώκειν εὐχωλῇσι λιτῇσί τε ἐσθλοῖς,
Εἵνεκα παντοδαπῶν μόχθων σου ἐν παιδεύσει,
Αὐτῶν λήσομαι οὐδέποτ', αὐτὰρ μνήσομαι αἰὲν,
Εἰσόκ' ἐγὼ ζώω καὶ ὁρῶ φάος Ἠελίοιο.
Λίσσομαι οὖν θεὸν ὠφελιμῶν δωτῆρα ἐάων,
Ὡς μάκαρ εὐμενὲς ἦθος ἔχων σφε τεροῖσιν ὀπάσσῃ
Ἀγγελικοῖς δούλοις σε ἀλεξικάκοις καὶ ὁδηγοῖς,
Ὡς μάλα ἀσκηθὴς εἰς πατρίδα γαῖαν ἵκηαι,
Ἠδὲ ἄνευ τε νόσου βιοθάλμιος, ἠδ' ἀγορεύῃς
Καὶ πράττῃς χαρίεντα θεῷ, σωτήρια θνητοῖς.

Distichon reticulatum Votivum.

FAusto, lætus, ovans, abeas, adeas, obeasq;
Hinc, patriam, munus, poplite, mox, animis.

ALIUD.

Sis, vigeas, vireas, in vivis, flore, & honore,
Longius, almo, amplo: sic prece posco Deum.

Præceptori desideratiß. fac.
Matthias Lizovius. R. M.

ALIUD

Hinc abitum tandem fatis BURCHARDE secundis
Acceleras, nostri linquis & arva soli,
Ad patriam præclara trahit te functio terram,
Tradit honoratum clara Lubeca locum,
Gratulor hanc equidem tibi, Vir doctißime, sortem,
Propositoq; tuo fata benigna precor:
Sed doleo multum tandem te linquere charos
Discipulos, ad quos non rediturus eris.
Te cupidis votis pubes studiosa requiret,
Cui poteras studijs commodus esse tuis.
Sed sic fata jubent, animo præsente sequendum,
Consilio quævis stantq; caduntq; Dei.
I, quo IOVA vocat, felix, Præceptor amande,
Spartam, quam nactus, naviter adde decus.
Pascito oves CHRISTI divino semine verbi,
Te duce succrescant regna beata Dei.
Exstirpa sævo nova dogmata mixta veneno,
Sic tandem Dominus præmia digna dabit.
Insuper hæc addo; summus te ducat IOVA
Et te perpetuâ prosperitate beet,
Ac faciat longos ut vivas Nestoris annos,
Ac tandem scandas atria celsa poli.

Præceptori suo chariss. scripsit.
Daniel VVasserfhurer S. P.

ALIUD.

Num tua, Præceptor, faveat nunc patria nostris
Musis, haud novi: dic mihi, care, rogo.

Afficit

Afficit (ut duco) pergrato munere Fautor,
Ergò quod faveat patria, dico, tua.
Cum te progenuit felici ſydere, nonne
Tunc Muſis noſtris munera grata dedit?
Ac ubi permiſit tibi munus adire docendi
Gymnaſio in noſtro? munus id eſſe puto.
Quot tua perdoctos juvenes doctrina relinquit
Poſt ſe? pergratum munus id eſſe ferunt.
Quis te perpeſſum multos negat eſſe labores?
Diſcipulis poſſes utilis eſſe tuis.
Sed prodeſſe ſcholis, naſci ſub ſydere fauſto,
Inſtituiſſe, pati, ſint tibi dona piè.
Non favet is noſtris, qui, Muſis, abſtrahit illum,
Qui ſtudijs noſtris conſuluiſſe cupit.
Hoc facit, ut video, tua patria, docte Magiſter,
Ergò. Conijciat cætera quisq; volo,
Aſt tantùm repetit talem tua patria civem,
Qui nobis curâ præfuit atq; fide.
Idcircò Præceptori de munere Verbi
Gratulor, in patriam fauſtus eatq; precor.

Fauſta gratulationis debitaq; gratitudiis ergò adjungebat.
Petrus Pomeranus Schlav: Pom:

ALIVD.

POſtquam fama meas nuper pervenit ad aures,
Aönidum in Clarijs hortis verſate MAGITER,
Gymnaſi illuſtris quod linquere clara lycea
Sit tibi mens, ultra noliſq; docere juventam,
Cui ſtudijs multis peperiſti commoda magna
Hactenus & doctis ſcriptis, & amore paterno
Quo per nonnullos juvenes complexus es annos:
Heu mihi! quàm fuerim perterritus attonitusq;,
Obſtupui prorſus, mea vox quoq; faucibus hæſit,
Non potuiq; meos gemitus & ſiſtere fletus,

Et non immeritò: Nam quis vult inficiari,
Quin fueris nobis summè præceptor amandus
Doctrina insignis magna virtuteq; cultus,
Nec non eximio cultu afficiendus honoris.
Quandoquidem verò te vocat te patria suavis
(Omnia nam patriæ nostra debemus, & illam
Officiis nunquam nos deseruisse decebit)
Vt perfungaris pastoris munere ovilis
Christi, securos & legis fulmine acerbo
Attonitos reddas homines & voce suavi
Pacis soleris prostratos, verba fideq;
Cœlica sincerà pandas mortalibus agris,
Propterea spartam divino Numine missam
Gratulor, ut felix tibi sit sanctæq; cohorti,
Ipse Deus qui te sub munia tanta vocavit
Faxit, ne steriles spargatur semen in agros,
Sed multi redeant fructus & copia dives.
Vera Dei soboles summus rex atq; sacerdos
Noster, ritè sui Famuli conatibus adsit,
Difficicile est etenim nil arbitro & auspice Christo.
Nunc veniat virtus sancti in præcordia flatus
Infirmi, ut possis mysteria summa docere
Laudum præco Dei: multisq; ad sydera cœli
Accessum monstres; ac deniq; grata laboris
Præmia perpetuæ vitæ diadema reportes.
Sidere vade bono, det mitior aura JEHOVAH
Spiret ab axe tibi ventorum & prælia cessent.

Tam gratulationis quàm gratitudinis ergò
Iubenter appositum & decantatum à

Ioachimo Hoppio Cöslino-
Pomerano.

PRO-

PROSOPOPOEIA

DISCIPULORUM ILLUSTRIS POEDAgogij Stetinensis lugentium Praeceptoris sui Dn. M. ANTONII BURCHARDI Lubecensis Abitum.

PRoh dolor! ANTONIUS BURCHARDUS quando MAGISTER
Linquere Stetini nostra Lycea parat,
Nostra quis irriguo perfundet lumina fletu?
Quis gemitus? querulas quis dabit ore preces?
Heu! heu! ô Musæ, mœstis succurrite vestris
Vocibus & Carmen dicite cum lacrymis.
Eheu! quanta creant studijs incommoda nostris
Hoc inopinatum, quanta pericla, malum.
Eheu! multijugæ qnantâ frustramur in arte
Spe nunc παιδείας, vir venerande, tuæ
Omnia cum rident, cum formosissimus annus,
Cur nos tristitiæ fata maligna premunt?
Luxuriant saliuntq; greges, lætatur Aëdon,
Nobis cur solis pectora mœsta dolent?
Ecce! ubi, ceu campus molli flavescit aristâ,
Nostræ flavescit messis opima operæ;
Qui disciplinis formabat pectora doctis,
Pulpita BURCHARDUS linquere sueta parat.
O nos discipulos infausto sydere natos!
Flebile BURCHARDI quîs Vale dextra dedit.
Heu BURCHARDE! tuo discessu multa doloris
Signa juventuti (signa sinistra) paras.
O si qua est cordi pietas, quæ vota precesq;
Curat, quæso mane: larga brabeja feres.
Ah spes nostra mane, spes nostra maneto, Iuventus
Usq; die totâ sic studiosa gemit.
Sed quid? dicta negas duras demittere in aures;
Obstant fata; abitum nil doluisse juvat.
In vacuas frustrà questus effundimus auras,
Noster it in ventos nunc dolor atq; labor.
Quin proficiscenti, quæ restant debita dona
Solvimus, inceptæ vota vovendo viæ:
Te Deus angelico ducat, fidissime ductor,
Stipatum cœtu; sic benè cedet iter.
Et quia multiplices, præceptor amande, labores
Nostri olim causâ ferre paratus eras,
Nunc tibi pro tali conamine pectore grates
Cantamus memori, dum bene vita manet
Prosper abi, salvusque diu cœlestia Patres
Et plebem Patriæ verba doceto. Vale.

Martinus Chemnitius Iunior.

PROSOPOPOEIA
Abiturientis M. ANTONII BURCHARDI Discipulis su[is]
VALE ultimum consolatorium dicentis.

Bina per ac ultra docui te lustra IUVENTUS,
Inde Philippeæ nunc valedico Scholæ.
Officium feci, potui quâ sedulitate,
Quaq; fide: testem teq; Deumq; voco.
Tu sed cur tantos profundis pectore quæstus,
Incusare amens desine fata rogo.
Quo nos Iova trahit, benè scis, retrahitq; sequendum est,
Et regit æterno numine cuncta Deus
Hinc est, quod patrias discedere jussus in oras
Desero Gymnasij pulpita clara tui.
Haud anceps casus, sors haud malefida, sed almus
Numine me vocat hinc omnipotente Deus
Patria me natum docuit; pia præmia poscens
Doctrinæ fructus reppetit illa sibi.
Ergò siste modum lacrymis, carißima pubes,
Cordeq; discessum fer patiente meum.
Ille Deus tibi me qui demit, in arte Magistrum
Mox alium tribuet, damna levando tua.
Is curam vestri studij geret atq; laboris,
Dexteritate, fide, sedulitate pari.
Quod voveo, Iovamq; precor. Nunc hisce juventus
Te jubeo monitis ritè valere meis:
Acriter inceptam studiorum perfice telam,
Artibus hinc Sophiæ tempora longa dabis.
Fama per ingenuas & gloria quæritur artes:
His favor & Regum conciliatur amor.
Nec te pœniteat Christum didicisse, scienti
Crede mihi, Sophiæ sunt sacra scripta lucro.
Πάνσοφος est, Christum Iesum qui novit amatq;
Hunc, licet ignores cætera, scire sat est.
Vive valeq; diu felix studiosa juventus.
Inquam Vive, vige, vive, faveto, Vale.

Invidia Labori Rapit Mercedem.

F I N I S.

